

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

XXIV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

## XXIV.

**S** In Domino. Rogatus sum, clarissime vir, ab amicis honesti adolescentis, Georgii Tromeri Austriaci, ut ipsi ad Academiam vestram profecturo commendatione mea adesse velim: Quod officii genus ego nec illi, nec amicis, optimè in hac Republica de me meritis, denegare potui. Fretus ergo tua singulari humanitate tibi hunc adolescentem ea, qua possum, diligentia commendo, & rogo, ut ipsum auxilio & consilio tuo juvare velis, maxime ipsius studia promovere. Quanquam enim ætas matura & statura sit bene longa, tamen videtur in primis principiis horribiliter neglectus. Plura in ipsius commendationem non scribam, ne videar de candore tuo erga me dubitare.

Est autem hic adolescens nepos ex sorore Clarissimi viri, D. Kirchschlageri, qui in aula Imperatoria inter præcipuos numeratur, quiq; uxorem ex præstantissima Patriciorum apud nos, Bresslerorum scilicet, familia duxit.

*Karolus 29<sup>th</sup>* controversiæ cum Zanchò tibi & tuis opto talem, qualem heri sum expertus in causa Willingi: Is enim cum integro biennio constanter una nobiscum veram de cœna sententiam proposuisset, tandem, nescio quo fato, seu potius innata & superbia & inconstantia claudicare cœpit: Quapropter à Senatu nostro statim dimissus, & conciones ipsi sunt interdictæ. Bene & feliciter vale. Et hæc, quæ scripsi raptim, boni consule. Uxorem tuam honestissimam meo, & meæ nomine officiose salutabis. Ulmæ, 12. Julii Anno 61.

*T. humanitatis studiosissimus*

Rabus, D.

## XXV.

**S** Qui tibi has reddit literas, Farellus frater, historiam partim laudatissimam, partim etiam lætissimam nunciabit, Vir ornatissime. Certè nihil simile nostra memoria contigisse puto, referuntque prorsus res gestæ, avita heroum Israëliticorum miracula, dignæ prorsus, quæ ab egregio aliquo scriptore posteris commendarentur. Meriti autem sanè sunt, merenturque fortissimi & integerrimi fratres, quorum aliqua ratio à piis & charitatis zælo ferventibus habeatur. Quod te pro tua autoritate consuetaque sedulitate pietateque studiosè curaturum non dubitamus. Non ignoro sanè, hoc genus postulationum odiosum esse, nec injuria suspecta habetur quorundam eronum fides, à quibus non rarè decepti, beneficentiam, quod ipsos attinet, perdimus; sed hic nihil esse ejusmodi, præter Genevensis Reipublicæ testimonium publicum, etiam alii aliquot ad me cordati fratres literis testati sunt, incorruptam esse viri optimi fidem. Accedit & ipse Farellus, venerandus senex, qui pieta-

S

tis